

V. c.
3251

Q
LVC

I

SV

IN

IV

Mo

R

AN

E

QR. 161. 10

LVCII VERONI

V c

3251

DISSERTATIO

DE

SUCCESSIONE

IN IVRA ET DI-

TIONES

IVLIAE, CLIVIAE,

MONTIVM, MARCHIAE,

RAVENSPERGAE & C.

ANNO CHRISTI M. DC. XLVI.

EDITIO EMENDATA.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



narren
 labora
 dem
 pauca
 etiam
 sent.
 nomi
 pulos
 di, ne
 tro oc
 stra o
 Bran
 prou
 nobis
 ut, o
 dali
 uinc



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
 HALLE (SAALE)



P R Æ F A T I O.



Cio me dissertatio-
nem dare moroso
huic seculo, cui Ve-
ritas odiosa est, et-
iamsi non prolixè
narretur. Eoque, quàm potui,
laboravi conferre totam illa-
dem longissimæ disputationis
paucas in paginas, quas proinde
etiam occupati fastidire non pos-
sent. Iurium lumina, legumq;
nomina, quarum aliquot mani-
pulos habuerã, adducere superse-
di, nempe hæ ambages peritis ul-
tro occurrunt, imperitis fru-
stra commemorantur. Sed &
Brandenburgici, in quos ex
prouocatione pugnandum est, hæc
nobis ultro legem indixerunt,
vt, omisso communi & Feu-
dali Iure, ex specialibus Pro-
uinciarum, Principumq; iu-
ribus

ribus causam omnem conficia-
mus. Historicis & raro, & non
alijs vtor, quàm quos suæ causæ
aduersarij delegerunt. Diploma-
ta ex tabularijs Principum de-
sumpta sunt. Eorum fidem im-
ploro, & tuam, Lector, vt ad
hanc dissertationem legen-
dam sine affectu ac-
cedas.

CAPVT.

BR

A



fusce

Prin.

opib

oculo

poris

nonic

prim

FRID

fecit.

LIEL

idqu

lunij

S

BYL

CAPVT. I.

BREVIS ET PERSPICVA

ARGVMENTI NARRATIO.



GVILIELMVS Dux
 Iuliacensis, & Bergensis,
 Comes. Rauensperge.
 Cùm ex Coniuge Hins-
 bergia liberos nullos
 suscepisset, occasionem Germanis
 Principibus dedit, vt in eas ditiones,
 opibus & diuturna pace florentes
 oculos conijcerent. Erat id tem-
 poris ALBERTVS Saxo, bellis Pan-
 nonicis, Burgundicisque Cæsari ap-
 primè commendatus. Ei igitur
 FRIDERICVS II. Imperator spem
 fecit, vtriusque Ducatus, si GVI-
 LIELMVS absq; liberis moreretur,
 idque litteris Cæsareis, Græcij 26.
 Iunij, Anno 1483. sanciuit.

Subinde GVILIELMVS ex SI-
 BYLLA Brandeburgica, vxorum al-

A 3

tera,

tera, filiam suscipit MARIAM, nec differt confestim agere cum Casare MAXIMILIANO, vt ea tametsi filia ditionum paternarum heres, & habilis ad capienda Imperij Feuda Imperatoris indulgentiâ, & auctoritate pronuntietur.

Anno 1496. 3. Februarij MAXIMILIANVS *Cesar* Diplomate sub minore Sigillo firmato, quæ petebantur concessit; Diplomatis hæc summa est. *Si filium GVILIELMVS non susceperit, MARIA eiusque hæredes masculi, successionis & feudorum capaces sunt. Si MARIA sine liberis decedat, idem esto priuilegium Sororis, eiusque hæredis masculi, si quam interea GVILIELMVS genuisset.* Eodem anno exeunte quæsitus est MARIÆ etiam tum innubili, è vicinia sponsus Ioannis Cluie Ducis & Marchiæ Comitis filius Ioannes III. Quo tempore etiam arcto inter vtrosque Duces fœdere conuentum est; cuius fœderis præcipuum

puum l
GVIL
Montes
authori
teruent
sistere
petran
tulit,
Anno
profic
ploma
illa, c
rant,
de est
firma
Sigillo
manu
itiner
tor,
ptibu
tisfac
lit lu
lunta
lis ex
à Gy

puum hoc caput ; vt **MARIAM** *Festos.*
GVILIELMI *filiam dotales Iulia ac Cathari-*
Montes sequerentur, idque Cesaris na Virg.
authoritate firmaretur, sine cuius in-
teruentu facile agnoscerent, hęc per-
an. 1496.
sub 84.
Sigillus.
 sistere neutiquam posse. Eius rei im-
 petrandæ præclara se occasio ob-
 tulit, cum **MAXIMILIANVS** *Cesar*
 Anno 1498. in *Belgium* ipsemet
 proficisceretur; quo tempore **Di-**
 ploma iteratum, eòque in primis
 illa, quæ Anno 1496. indulta e-
 rant, repetebantur, addita dein-
 de est promissio, eandem gratiam
 firmandam exhibendamque *sub*
Sigillo Imperiali maiore, quod id ad
 manum iam non esset. Eodem ex
 itinere **MAXIMILIANVS** Impera-
 tor, vt **ALBERTO** *Saxoni* de sum-
 ptibus *pro re Austriaca* impensis sa-
 tisfaceret, *Frisiam* vtramque contu-
 lit summâ totius Prouinciæ vo-
 luntate. Anno 1508. *Spiræ* 2. *Apri-*
 lis expeditum est Diploma, quod
 à **GVILIELMO** petebatur; eius sunt

Pontus
Heuterus
rerum
Belg. l. 5.

A 4. *eadem*

, nec
 Casa-
 metfi
 s, &
 da Im-
 oritate
 MAXI-
 te sub
 pete-
 is hæc
 ELMVS
 e here-
 dorum
 liberis
 Soro-
 quam
 t. Eo-
 us est
 è vici-
 ucis &
 nes III.
 o in-
 con-
 præci-
 puum

4
eadem verba , quæ prioris. Se-
quenti deinde Anno 1509. Ulmæ
4. Maij iteratum denuo priuile-
gium, hoc insuper adiecto, vt quæ
ante hac ab Imperatore FRIDERICO
pollicitationes, seu expectantia, quas
vocant, datæ fuissent, ea nimirum ab-
olite, & MARIE eiusque masculino fi-
lio hæ. edi fraudi ac detrimento ne es-
sent, sed ex hoc ipso Diplomate vana
irriteque haberentur.

An. exinde 1516. ab eodem Cæsare
MAXIMILIANO, Nepoti CAROLO,
qui deinde eius Nominis V. Im-
perator extitit, potestas concedi-
tur, vt de vtroque Ducatu Iulia-
censi & Bergensi, ac Comitatu
Rauenspergico IOANNEM Cliuen-
sem iuniorem MARIE Iuliacensis
maritum, aui Imperatoris nomi-
ne inuestiat, quod anno primùm
1521. 22. Iunij Bruxellis Carolus V.
Imperator non iam Maximiliani,
sed suo nomine fecit.

Interea Ioannes ex Maria Iulia-
censi

cen
Ann
nam
la na
qui
colle
funt
catu
tum
talib
Cliue
aut
billa
Fride
Prou
quo
ris p
euit
tio,
inter
long
Mai
funt
I
Mar

censu liberos, *Guilielmum* filium
Anno 1516. filiasque *Sibyllam An-*
nam, Æmilianam, suscepit, *Sibyl-*
la natu maxima *Ioanni Friderico*,
qui deinde Saxoniz Elector fuit,
collocata est; eaque occasione vsi
sunt Saxoniz Principes, vt ad Du-
catum Iuliz & Montensem adi-
tum haberent. Itaque pactis do-
talibus conuentum fuit, *Si Ioannis*
Cluensis filius absque liberis decedat,
aut eius liber, heredes non habeant. *Sy-*
billa Ioannis filia, & eius ex Ioanne
Friderico Saxone heredes in omnia
Prouinciarum jura succedunt. Id
quoniam absque singulari Cæsa-
ris priuilegio ratum esse non po-
tuit, decreta est ad eundem Lega-
tio, varijsque deinde cautionibus
interpolata, & hæc pacta dotalia
longè post, An. demum 1544. 13.
Maij ab Imperatore confirmata
sunt.

Interea *Guilielmus, Ioannis &*
Mariae filius annorum 24. Iuuenis

A 5

mag-

ANNO
1526.
8. Aug.

6
magnis promissionibus, & matrimonio insuper *Ioannæ* *Nauarrenæ* in spem adiiciendæ suis ditionibus *Geldriæ* allectus, Arma sumpserat, eius belli hic exitus fuit, vt *Guilielmus* Anno 1543. cum *Geldriam* Imperatori cessisset, non solum *Venlonæ* de reliquis Ditionibus inuestiretur, omniumq; privilegiorum, quæ alij *Cæsares* contulissent, firmamenta acciperet; sed & omissa *Nauarrena* in Generum deligeretur, desponsa *Maria* *Austriaca* *Ferdinandi* *Romanorum* Regis filia.

Anno 1546. 29. Iulij nuptias *Ratisbonæ* celebratas, secutum est à *Carolo* *Cæsare* Diploma, quod deinceps etiam alij Imperatores repetierunt, Eius argumentum hoc est. *Guilielmo* *Duci* *Iuliacensi*, *Montensi* &c. & *Maxie* *Austriacæ* *Coniugi* PECULIARE HOC PRIVILEGIUM à *Cæsare* collatum esto, si *Guilielmus* ex *Maria* *Coniuge*

iuge
habea
alijs
dant
ra suo
si ear
uat, su
MA S
legiu
mati
perat
1559.
perat
lis Ar
inde
libere
Ex
iuuen
mæ in
Ioa
Iacob
Loth
Anno
Ma
Pruss

7
iuge legitimum heredem marem non
habeat, aut si illiquos haberet absque
alijs deinde heredibus masculis dece-
dant, in ditiones ac Prouinciarum iu-
ra succedunt Filiae, si supersint; aut
si earum nulla tempore casus superui-
uat, succedunt earum LEGITIMI
MASCULI HÆREDES. Id priui-
legium iisdem verbis suo diplo-
mati insertum Ferdinandus I. Im-
perator, Augustæ 20. Iunij Anno
1559. Deinde Maximilianus II. Im-
perator itidem Augustæ 20. Apri-
lis Anno 1566. confirmauit. Sub-
inde Guilielmus ex Maria Austriaca
liberos aliquos suscepit.

Ex ijs Carolus Fridericus in ipso
iuuentutis flore Anno 1575. Ro-
mæ immatura morte decessit.

Ioannes Guilielmus ducta primū
Iacoba Badensi, deinde Antonia
Lotharinga, ex neutra parens
Anno 1609. demortuus est.

Maria Leonora Alberto Friderico
Prussæ Duci elocata, obiit Anno
1608.

1608. ante fratrem *Ioannem Guiliel-*
mum, relicta filia *Anna*, nupta *Io-*
anni Sigismundo Electori Brande-
burgico, ad quam suas origines
referunt hodierni Electores Bran-
deburgici.

Anna collocata *Philippo Ludouico*
Comiti Palatino, cuius filius &
hæres legitimus masculus est se-
renissimus *VVolfgangus Guilielmus*
C. P. R. &c.

Magdalena nupta *Ioanni Bipo-*
tino ex quo etiam ipsa filios, & hæ-
redes masculos suscepit.

Sibylla nupta Marchioni Bur-
goviæ, cuius in iura Serenissimus
VVolfgangus Guilielmus certis pa-
rtionibus successit.

C A P V T. I I.

STATVS ET PARTITIO

QVÆSTIONIS.

Quadr-
partita.
Quæstio

EX hoc igitur rei successu, qua-
tuor hodie quæstiones, in-
gentibus studijs, & magno Illu-
strum

strum
lantu
Pri
succed
nos h
nus.

Sec
burgio
ab An
ante
defun

To
gangu
cund
masc

Q
vtriq
parte
tuen

N
fimi
uersi
quo
at, C
caus

strium familiarum ambitu, venti-
lantur.

Prima. *An in ea iura ditionesque
succedant Saxonie Principes ? quod
nos hic excutiendum non suscipi-
mus.*

Secunda. *An Marchiones Brande-
burgici, qui origines suas accerfunt
ab Anna Maria Eleonora, (eius, quæ
ante fratrem Ioannem Guilielmum
defuncta est) filia ?*

Tertia. *An Serenissimus VVolf-
gangus Guilielmus C. P. R. Anna se-
cundò genitæ Sororis legitimus
masculus, filius ac hæres ?*

Quarta. *An Brandenburgici, &
vtrique Palatini non in solidum, sed in
partes succedant, quod Bipontini
tuentur ?*

Nos hac dissertatione Serenif-
simi VVolfgangi Guilielmi Iura ad-
uersus Brandenburgicos tuebimur,
quod vt breuiter atque ordine fi-
at, Quatuor Capitibus præcipua
causæ Fundamenta sistemus, ex
qui-

quibus deinde non erit difficile de
vtriusque meritis iudicare.

C A P V T. III.
QVI ANTE PRIVILEGI-
VM CÆSAREVM DE FACTO
SVCCESSERINT?

Iulia, Cliuia, Montes à tribus &
quod excurrit seculis, non fuerunt
feuda promiscua, sed in ijs masculis fe-
minas excluderunt.

Successio Masculina
Exemplis firmatur.

Exemplis & historicorum fide
agendum est, eorū maximè quos
Brandenburgici cupidè & ambitio-
sè sequuntur.

ARNOLDVS II. Cliuiæ
Comes XVII.

THEODERICVS IV.	ARNOLDVS III.
Cliuiæ Com.	Cliuiæ Com.
XVIII.	XIX.

ALBIDA VXOR THEO- DER. Com. Holland.	Eiusq; posteri.
Exclata ab Arnol- do Patruo.	

Anno

An
uia C
rat Al
miti
non f
frater
tatu.

ADOL
MO
Co

MARCO
HE
bur
fa
BE

An
tium
miata
ca fili
Henri
Com
nomi
men

Anno 1200. *Theodoricus* IV. Cli-
uiæ Comes filiam vnicam relique-
rat *Aleidem* nuptam *Theodorico* Co-
miti Hollandiæ, successit tamen
non filia, sed ea exclusa *Theodorici*
frater **ARNOLDVS** in Cliuiæ comi-
tatu.

Cliuiæ.
Teschē-
mecher
in Theod
4. contra
Reusner.
& Hen-
ningum.

ADOLPHVS IV.
Montium
Comes.

ENGELBERTVS.
Archepisc.
Colon.

MARGARITA nupta
HENRICO Lim-
burgico, Exclu-
sa ab ENGEL-
BERTO Patruo.

Anno 1218. *Adolphus* IV. Mon-
tium Comes bello sacro ad Da-
miatam ceciderat; supererat vni-
ca filia *Margarita*, eiusque Maritus
Henricus Limburgensis, qui cum
Comitatum Montensem vxoris
nomine affectaret *Engelberto* ta-
men *Adolphi* fratri Antistiti Colo-
niensi

MON-
TIVM.
Vita S.
Engel-
berti.
cap. 4.

niensi cedere debuit, quoad ipsius Engelberti precibus, impetratum est à Friderico II. Imperatore, ut demum Adolphus, Henrici filius ad Feudum admitteretur.

THEODERICVS IX.

OTTO THEODERICVS IOANNES

IRMINGARDIS MARGARITA nupta
nupta IOANNI ADOLPHO Marcano
Arculco. Exclu. Exclufa à IOANNE
sa à THEODERI- Patruo.
co Patruo.

ENGEL- ADOLPHVS
BERTVS Cluix Co-
Marcanus mes Ex Arch.
Colonienſi.

ISABELLA nupta
IOANNI Com.
Nassauo. Exclufa
ab ADOLPHO pa-
truo, cuiusque filijs.

Cluix.
Tefcher-
mecher.

Theodericus IX. Cluix Comes
tres filios suscepit Ottonem pri-
moge-

mogert
nem. S
qui et
Irming
nastæ
Ottoni
1309.
E
1328.
Theod
cani
ment
ter Io
Iuful
fine li
rum
Cluix
deino
Adolp
lio in
tame
nis r
lunta
terit
prim

primogenitum, *Theodericum*, & *Ioan-*
nem. Successit Parenti filius *Otto*,
 qui etsi filiam unicam sustulisset
Irmingardim nuptam *Ioanni* Dy-
 nastæ *Arculeio*, successit tamen
Ottoni frater *Theodericus X.* Anno
 1309. Exclufa *Irmingardi* & *Arculeis*.

Hëning.
 Reuso. 10
 Theo-
 deric, 9.

Eo etiam *Theoderico X.* Anno
 1328. demortuo successit non filia
Theoderici *Margaretha*, *Adolphi* Mar-
 cani Coniux, etsi id Parens testa-
 mento voluisset, sed eiusdem fra-
 ter *Ioannes*, relictis *Coloniensibus*
Iufulis. Quo demum ipso *Ioanne*
 sine liberis defuncto, exclusis ite-
 rum filiabus *Arculeia*, & *Marcana*,
Cliuia ad Imperium recidit. Quam
 deinde etsi Imperator *Carolus V.*
Adolpho *Margarethæ* *Marcanae* fi-
 lio in feudum concessit, id factum
 tamen est non Iuris, aut agnatio-
 nis respectu, sed libera Cæsaris vo-
 luntate, quam ut testaretur, præ-
 teritus est *Engelbertus* *Margarethæ*
 primogenitus, & *Cliuia* *Adolpho*
 secun-

Cliuia.

Iidem.

Cliuia.

Iidem.

secundo genito concessa, qui tum temporis erat Archiepiscopus Coloniensis.

Marchiæ

Engelbertus is ipse, cui cum *Adolpho* fratre de Marchia conuenerat, filiam vnicam susceperat *Isabellam*, desponderatq; *Ioanni* Comiti Nassouio; defuncto tamen *Engelberto*

Idem.

Marchiam Adolphus Isabelle Patrus tenuit. & ad posteros trāsmisit.

GERARDVS

IULIÆ ET MONTIVM COMES.

GVILIELMVS Com.

Iul.

|

GERARDVS

Com. Iul.

|

GERARDVS Com.

Iul.

|

GVILIELMVS DVX

Iuliacens.

|

ADOLPHVS

Com. Berg.

|

GVILIELMVS

Com. Berg.

|

GERARDVS

Com. Berg.

|

GVILIELMVS

Dvx Berg.

|

Guiliel-

GVILIE
dus, Io
Arculei
sa ab
Bergen

An

Ducis
post d
& Rein
hæred
natus
saris v
clusit
capite

QVI

VM C

I

Ivl

Fe

cedere

Fæmi

Fi

GVILIELMVS, Reinol-
 dus, Ioanna nupta Io,
 Arculei Dynastæ exclu-
 sa ab Adolpho Duce
 Bergensi.

Adolphus,
 Dux Berg.
 Guilielmus
 Dux Berg.

Anno 1423. Ioannam, V Vilhelmi Iuliz.
 Ducis Iuliacensis filiam vnicam,
 post duos fratres superstitem, quã
 & Reinoldus frater, cum decederet, Iidem &
 hæredem scripserat, Adolphus ag- Sigismũ,
 natus Dux Montensis Sigismundi Cæ- Imper: in
 saris voluntate & auctoritate ex- diploma-
 clusit, quod exemplum sequenti te edito.
 capite, ampliùs expendemus. Anno.
 1425.

C A P V T. IV.

QVI ANTE PRIVILEGI-
 VM CÆSAREVM SVCCEDERE
 DE IVRE POTVERINT?

I Vlia, Cliuia, Montes, Marchia &c:
 Feuda mascula fuere, in quibus suc-
 cedere sine speciali Cæsaris priuilegio,
 Femina de iure non potuit.

Firmamenta huius pronuncia-
 ti

Succel-
sio Ma-
scula au-
toritati.
bus fir-
matur.

IMPE-
RATO-
RVM.
In diplō:
anni
1451 fer.
3. post
Penteco-
sten.

Deductio
Saxoni.
pag. 10.

ti adducemus non ex ambiguis
coniecturis, aut hodie natis Scrip-
toribus, sed Cæsarum Principum-
que documentis, quos ordine hîc
testes percensemus.

1. *Sigismundus* Imperator cum
exclusâ *Ioannâ Guilielmi Iuliacensis*
Ducis filia vnica *Adolphum* agnatû
de eo ducatu inuestiret, addidit
explicatè, quo iure id faceret, nem-
pe, *Adolphum proximum esse heredem,*
qui de *Clypeo*, & progenie
mascula defunctos *Iuliae Duces at-*
tingeret, qua formula loquendi bis
repetitâ Imperator vtique Iura
successionis, *Masculæ*, apertissimè
designauit.

2. *Fridericus* Imperator cum
Guilielmus Iuliae & Montium Dux abs-
que liberis decessurus putaretur,
Alberto Saxoni spem potiendæ
Prouinciæ fecit, si ad Imperium
recideret, etsi satis constaret *Caro-*
lum Egmondanum Geldriæ, vt se fe-
rebat,

rebat,
Guilielm
natales
eodem
Iuliae L
deburg
ctor,
Imper

Guilie
Du
Maria

Ioann
Ioann

Maria
nupta
Egmo

Arno
der.
Cliue

Adol

rebat, Ducem ab eadem *Ioanna*
Guilielmi IV. Iuliacensis filia suos
 natales arcessere, eiusque Patrem
 eodem gradu distare à *Guilielmo I.*
Iulix Duce, quo hodiernus Bran-
 deburgensis Serenissimus Ele-
 ctor, *Vilhelmum, Ferdinandi I.*
 Imperatoris Generum contingit.

Guilielmus I.	Guil. Iul. Cliu.
Dux Iulix.	Mont. D. Gene.
Maria Geldra.	Ferd. I. Imper.
	Maria Austriac.
Ioanna nupta.	
Ioanni Arculeo.	Maria Leonora
	Albert. Frid. D.
Maria Arculeia,	Borrussia.
nupta Ioanni	
Egmondano.	Anna Dux Bor.
	russia. Ioann.
Arnoldus Gel-	Sigismu. Elect.
der. Catharina	Brandeburg.
Cliuensis.	
	Georg. Wilhel.
Adolphus Gel-	Elect. Brand.
	Eli-

der. Catharina
Borbonia.

Elisabeth Caro-
lota. Palatina.

Carolus Egmō-
danus.

Fridericus Wil-
helmus Elect.
Brandeburg.

3. *Maximilianus I.* Imperator, cum deinde anno 1496. *Carolus Egmondanus*, quem dixi, eâdem spe sublatus, & iam *Geldria* sua non contentus, inferre se etiam titulis *Iuliacensibus* auderet, acerrimè id prohibuit. Verba Cæsarei diplomatis hæc sunt: *Nec tu, inquit, nec tui maiores in eum Ducatum* quidquam *Iuris habuere*, quo clariùs nihil dici potuit ad reiicienda jura Feudi, & successionis promiscuæ, quæ Egmondano non minus, quàm *Electori Brandeburgico* fauebant. Idem *Maximilianus I.* cum *Mariam Guilielmi* filiam ad Feuda *Iuliacensia* habilitasset, liquidò contestatus est, se id facere ex spe-

specia
pleni
ritatis
capac
reddere
fuiſſet
more,
capax
mero
ni, qu
regi, a
conce
inuest
Guilie
tensis
& her
mum
gular
nem I
Princi
charis
nomin
Guili
turali

Caro.
ina.s Wil-
Elect.
rg.rator,
arolus
âdem
a non
itulis
mè id
diplo-
it, nec
uid-
lariùs
a jura
scuæ,
inus,
fauc-
cum
euda
uidò
re ex
spe-

speciali gratia, & fauore, ex plenitudine Cæsareæ auctoritatis, se filiam *Guilielmi Mariam* capacem dignamque feudis reddere, quibus formulis opus non fuisset, si iam veteri receptoque more, Feuda promiscua, & eorum capax *Maria* filia fuisset. Adnumero hîc verba Diplomatis Latini, quo *Carolo* Hispaniarum tum regi, aui loco, & nomine potestas conceditur, *Ioannem III.* Ducem inuestiendi: *Cum quondam, inquit, Guilielmus Dux Iuliacensis & Montensis Comes in Rauenspurg, sine filijs & heredibus Masculini sexus, extremum clauserit diem, & nos ex singulari gratia consenserimus Ioannem Iunio-rem Ducem Cliuiensem, Principem & consanguineum nostrum charissimum tam proprio eius, quàm nomine Illust. Mariæ præfati quondam Guilielmi Ducis filie legitime & naturalis, Principis & Consanguineæ nostræ,*

nostræ, Consortis eius charissimæ inuestire, & ipsi regalia concedere &c.

Ratisbo.
Anno
1546. 29.
Iul.

4. Eadem formula suum privilegium sancivit *Carolus V.* Imperator. Quin etiam antehac Anno 1544. in confirmatione Pactorum Dotalium Saxoniorum, quibus de Sibyllæ Saxonicæ successione agebatur, signatè hæc verba inseruit: *Habeat Sibylla eiusque ex Ioanne Friderico Saxone heredes Masculi, expectantiam ad Feuda Iuliacensia &c.* Ita tamen, ut ratio Feudorum predictorum, per illam expectantiam non mutetur; sed in suo esse permaneat, eaque post mortem Sibyllæ ad eius & Ioannis Friderici masculos Feudales heredes, ut antehac dictum est, devolvantur. Quibus ex verbis testatissimum est, *Carolus V.* & masculam Feudi qualitatem agnovisse, & eam per Filiaë unius alteriusque habilitationem, de cætero tollere neutiquam voluisse.

Aug. An
1559. 20.
Iun.

5. *Caroli V.* posterius privilegium

gium
perato

6.

nus II.

7.

II. ec

Quæ

tot

fuisse

miscu

fissen

Seco

tius a

liacens

cipum

quem

rare j

succe

8.

Dux,

9.

chiaq

ueniss

vnica

Cliven

10.

Cliven

gium suo diplomati inseruit Imperator *Ferdinandus I.*

6. Idemque repetijt *Maximilianus II.* Imperator. *Aug. an. 1566. 20. April.*

7. Et ad extremum *Rudolphus II.* eodem pacto confirmavit, *an. 1580.*

Quæ sanè omnia otiosè dicta, & tot cautionibus circumscripta fuissent, si Feuda iam antè promiscua Fæminas succedere permisissent.

Sed nos pronunciatum testatius adhuc faciemus, ipsorum *Iuliacensis, Cliuensisq;* & aliorum Principum auctoritate, quorum utique maximè intererat, non ignorare jura sua, & an Filix possint succedere.

8. *Guilhelmus Iuliae & Montium Dux, Comes Rauensperge.*

9. *Ioannes II. Cliuia Dux, Marchiaque Comes.* Inter eos cum conuenissent, vt *Maria Guilielmi filia vnica, ad Ioannem III. Ioannis II. Cliuensis filium Iuliam, & Montes supra*

B

In pactis conuentis dota. &c. cit.

dotales afferret, adiectum est, inter cætera Conuentionis capita, etiam istud, vt *Ioannes Cliuie Dux ab Imperatore, Casare, priuilegium habilitatis suis sumptibus impetraret, cum alioquin hæc Imperij Feuda, ad eos, qui ensi ferendo capaces sunt & proximos Guilielmi agnatos reciderent: conuentum deinde variè est de sumptibus, & quo pacto ij refundendi sint, si res in irritum caderet, quæ omnis cura tam anxie circumspectè que habitata, frustra sanè fuisset, si feuda censuissent promiscua, & Mariam suo jure succedere potuisse.*

In eorundem declaratione, & obligatione. Ioannis Cliuensis,

10. Sequitur *Ioannes Saxoniae Elector,*

11. *Eiusque filius Ioannes Fredericus.*

12. Et huius focer *Ioannes III. Cliuie Iuliaeque Dux &c.* quorum sententias cap. 6. infra diffusius enarrabimus.

13.

13.
tharin

14

Mar

spon

filia,

Regi

dot

Anna

Sibyl

nes p

eam

spons

etiam

tem

sua

ma

15

Iulia

tam

Imp

dum,

uore

16

13. His subiungo *Antonium Lotharingia Ducem.* *In pactis dotali-*

14. Eiusque filium *Franciscum Marchionem*, quorum huic desponsata erat *Anna*, altera *Ioannis III.* filia, illa, quæ deinde *Henrico VIII.* Regi Angliæ nupta fuit. Pactis dotalibus sancitum est, ut quo casu *Anna frater*, eiusque soror maior nati *Sibylla absque liberis obirent*, in Ditiones paternas *Anna succederet*, & in eam rem *Antonius Socer*, & *Franciscus sponsus Lotharingia Duces etiam atq;* etiam apud *Sacram Casaream Maiestatem adniterentur ut successionem sua Maiestas*, sua auctoritate firmam ratamque haberet.

15. Testis esto *Guilielmus ipse Iuliae, Clivia, Montium Dux*, is, qui tam operosè, & pænè anxie apud Imperatores *Carolus*, *Ferdinandum*, *Maximilianum*, *Rudolphum*, fauores hos impetrare conatus est.

16. Agmen claudat *Albertus Fri-* *In pactis*
deri-

dotalibus
an. 1572. *dericus Dux Borussiae; In eius pactis*
dotalibus, cum de successione hæ-
redum Mariae Eleonora Coniugis
ageretur, sancitum est, omnia vt
fiant ex formula ac præscripto priui-
legij Cæsarei super ea re obtenti.

Sedecim His testibus opus fuit,
 ad eripiendam Brandenburgicis o-
 pinionem de Feudis promiscuis, cui
 pleraque alia inædificant.

Nec obstat, quod subinde *Adol-*
phus Cluixæ Dux Anno 1418. alij-
que, Priuatis Pactionibus, aut Testa-
mentis conditis laborarunt, vt dece-
dentibus masculis, etiam filia in eadem
jura & vestigia succederent, id enim
firmum receptumque non fuisse
demonstrant, 1. Tot successionum
exempla, quas antehac recensui-
mus, & 2. Cæsarum auctoritas, &
3. Principum in successione ad cer-
tas Faminas impetranda tam anxia
solicitudo; Neque verò etiam
priuatis conuentionibus aliquid
eiusmodi in præjudicium Domini
 Feu-

Feudi
 Feud

QV
 VM

P
 d

ditio
 circu

P

Mase

Adr

accie

Aust

lias

bere

Hær

Hær

int

rari

lidu

in p

Feudi statui potuisse, Iura publica & Feudalia testantur.

C A P V T. V.

QVI POST PRIVILEGIUM CÆSAREVM SUCCEDE-
RE POSSINT?

Post Privilegium Cæsareum succedere potuit Filia, sed certis Conditionibus, quibus Filiae Habilitatio circumscripta est.

PRIMA CONDITIO. Ut Heredes Masculi nulli, vel ante defuncti sint. Ad numero verba ex Privilegio. Si accideret, ut *Vilhelmus ex Maria Austriaca* nullos Filios, sed tantum Filias haberet, aut si Filios quidem haberet, sed qui ante Filias, vel eorum Heredes, absque legitimis Masculis Heredibus decederent. &c. neque interest in re confessa diutiùs morari.

SECUNDA CONDITIO. Ut in solidum una, eaque natu Maior, & non in partes singule succedant.

B 3

Hæc

Condi-
tiones
Privile-
gij Cæ-
sarei quo
succede-
re filia
permit-
titur.
I.

Carolinæ
an. 1546.

II.

Hæc etiam conditio clara est, ex Vnionis priuilegijs toties, & sollicitè repetitis, spectentur verba quę subiungo.

Priuilegium
Vnionis
Ferd. I.
Imp. de
Anno
1559.

Cum nobis Princeps VVilhelmus significarit inter Parentes suos Pactis Dotalibus conuenisse, ut ditiones Iulia, Cluina, Montes, Marchia, Rauensperga semper deinceps vnita & indiuisa permaneant, rogarit que humiliter, ut hæc pacta, Vnionem, & Consensum, Cæsarea auctoritate confirmare solidareq; dignaremur. Nos considerantes & petitionis æquitatem, & quàm fidelia, grata ac utilia obsequia, eius maiores, ipseq; VVilhelmus antecessoribus nostris Romanis Imperatoribus, nobisque & S. Imperio diuersis in rebus, saepe & libenter præstiterit, ac deinceps præstare para-

para
adh
nion
& p
erg
Dit
Dil
ster
Vr
rah
qu
lio
dil
co
su
ve
lo
&
su
gr

paratus sit, ex certa scientia, & adhibito de super consilio, hanc unionem & consensum firmamus, & paucis interiectis: Volumus ergo ut prædicti Principatus & Ditiones, quamdiu successio suæ Dilectionis Hæredum de sua Posteritate durabit, ac supererit, Unitæ, indiuisæ, & inseparabiles permaneant.

TERTIA CONDITIO. Vt ea, III.
 quæ succedit Filia, Hæredes Filiosque Masculos habeat, æquè, dilucida est; & cum in hac conditione Dissertationis summa vertatur, æquum est verba Priuilegij Cæsarei paulo religiosius, etiam cum Lectoris fastidio appendi.

Maximilianeum
 de Annis
 1496.
 1498.
 1502.

Maximilianeum
 de Annis
 1496.
 1498.
 1502.

legitimam Filiam nomine Ma-
 riam, aut si illa decederet, & præ-
 nominatus Dux Iuliacensis ali-
 am filiam susciperet, etiam illam,
 & cuiusvis legitimos mascu-
 los hæredes prædictorum duo-
 rum Ducatum & Comitatus,
 cum omnibus eò spectantibus,
 post ipsius decessum, in Feudum
 accipiendorum dignos idoneos
 & capaces fecimus. Carolini
 ista. Quòd si accideret, ut præ-
 dictus Dux V Vilhelmus ex præ-
 nominata sua Dilectionis Con-
 iuge, nostra cognata, nullum le-
 gitimum Masculum Hæredem
 susciperet, aut legitimos quidem
 Masculos Hæredes haberet, qui
 autem deinde seriùs aut citiùs,
 sine legitimis Masculis Hære-
 dibus, decederent; ut tum defi-
 ciente omni eiusdem Masculo
 Here-

Carolinũ
 de Anno
 1546.
 Quod ijs-
 dem ver-
 bis repe-
 rit Ferd.
 1. &
 max. 11.

Hæ
 pro
 rat
 qua
 Du
 as,
 ria
 tim
 la t
 ve
 per
 bis
 cu
 in

Q
V

H
ta

Hærede Ducatus ditionesque &
provincia, quæ à nobis, ut Impe-
ratore, & à sacro Imperio tan-
quam Feuda dependent, ad ipsius
Ducis V Vilhelmi legitimas fili-
as, ex prænominata Regina Ma-
ria nostra Dilecta cognata legi-
timè susceptas, aut si earum nul-
la tum temporis viueret, ex una
verò vel pluribus Hæredes su-
peressent, ad earum suæ dilectio-
nis filiarum legitimos maf-
culos hæredes, qui eotempore
in viuis essent, deuoluantur.

C A P V T. VI.

QVI, POST PRIVILEGI-
VM CÆSAREVM, SVCCEDERE
RE NON POSSINT?

E *Tiam post priuilegium Cæ-*
sareum Neptis exhabilita-
ta Filia, absque nouo, & specia-

Restri-
 ctiones
 Priuile-

B 5

li

gij Cz-
sarei.

1.

Ex eius
verbis.

II.

Ab Ex-
emplo.

Sibylla.

Saxonica.

li favore Cesaris, succedere non potest.

Id habent primò verba expressa Priuilegij, toties, tam anxie, tam explicatè repetiti; quemadmodum capite proximo superiori docuimus.

2. Exemplum *Sibyllæ Saxonicae*, quo nullum clarius & propinquius est, in deductione eius questionis, quam præ manibus habemus. Erat *Sibylla* filia *Ioannis III. Cliuix Ducis*, & *Mariæ* eius, in qua habitanda tam operosè patrens focerque laborarunt. Sed & *Maria* eius mater ipsa met inuestita feudo erat, noua & parum consueta formula; idq; eo tempore, quo indulgeri aliquid debere *Iulia-*

lia

Ca

Sib

xo

pe

ad

qu

nia

qu

di

pe

ter

et

im

um

lin

fur

ab

ge

nil

po

fer

507

liacensi Duci ipsemet Cæsar
Carolus non ignorabat Eam
Sibyllam Ioannes Fridericus Sa-
 xoniæ Dux Coniugem ce-
 perat, quæsito ea de causa
 aditu, ad recipiendas spes,
 quas iam ab annis 40. Saxo-
 niæ Principes fouebant. Et
 quanquam eo tempore scin-
 di factionibus Germania cæ-
 perat, & *Ioannes Fridericus* cæ-
 terique, qui ab *Ernesto* Ele-
 ctore descendebant, haud
 immeritò crederent *Georgi-
 um* Saxonem totamq; illam
 lineam, penes quam hodie
 sunt jura suffragij Electoralis
 ab imperatore *Carolo* indul-
 gentius haberi, eoq; causæ
 nihil haberent, vt Cæsaris
 potestati nimis prolixè de-
 ferrent. Re tamen diu anxie-

& Senu
 Soceri.

B 6 que

e non
 erba
 ties,
 è re-
 ca-
 do-
 Sa-
 rius
 edu-
 am
 Erat
 iuiæ
 qua
 pa-
 unt.
 pfa-
 no-
 for-
 quo
 lu-
 lia-



ae Paren-
sum.

que tractata, non credide-
runt Principes Saxoniae, non
Pater *Ioannes III.* non etiam
Maria Parens, filiam *Sibyllam*
succedere posse *Guilielmo*
fratri, si absque hæredibus
decederet, nisi id speciali-
ter iterum Cæsaris priuilegio &
consensu firmaretur.

Instruct.
Saxoni-
ca.

Testibus hic iterum &
quidem domesticis agendū.
Saxoniae Principes in summa
Legationis, quæ ad firman-
dam *Sibyllæ* successionem
destinabatur, hæc verba in-
ferunt. *Cum pactis dotalibus*
conuentum sit, ut, Sibylla Gui-
lielmo fratri, si absque liberis
defungeretur, succedat, idque
sine speciali consensu & ra-
tificatione *Maiestatis vestrae*
fieri non possit: proinde humilli-
mè

mè supplicamus &c. Et illa qui-
 dem formula *Ioanni III.* neu-
 tiquam placuit; nam & in-
 ferta erant nonnulla de ve-
 teri pollicitatione & exspe-
 ctantia, quam Saxones ha-
 bere prætenderent, & inte-
 gra pacta dotalia, coram Cæ-
 sare publicari *Ioannes* non
 probabat. Itaque ea de re
 scriptum est ad Saxoniam Ele-
 ctorem; *neque se quidquam lu-*
ris in hos Principatus Saxoni-
concedere, & non videri ut in-
tegra pacta dotalia Cæsari exhi-
beantur; sed illud tantum caput
de Sibyllæ successione proponatur,
petaturque, ut Sacra Cæs. Maiestas
in illam consentiat, eamque
necessarijs diplomatũ firmamẽtis
stabiliat atque confirmet;
 ad quam deinde Epistolam
 Ele-

Litteræ
 Ioannis
 Ducis ad
 Elect. Sa-
 xonia Io-
 annem.
 an. 1527.
 fer. 6
 post Na-
 talem
 Dominũ.

Electoꝝ Saxonie respondit.
 Et si neque apud Saxonie Duces
 haectenus receptum fuerit, pacta
 dotalia Caesari firmanda exhibe-
 ri, illud tamen caput de Sibylla
 Successione necessario exhibe-
 ri debuisse.

Littera
 Elect. Sa-
 xonia 10-
 annis ad
 Ioannem
 Ducem.

Quibus ex Argumentis
 plane liquet, tametsi *Maria*
Iuliacensis, vi *Caesari* priui-
 legij, in lura ditionesque *Mu-*
liae & *Montium* successisset, fi-
 liam tamen *Sibyllam* sine no-
 uo privilegio succedere
 neutiquam potuisse, idque
 Parentem, Socerum, Mari-
 tum, utique Iurium
 suorum conscios,
 credidisse.

CAP.

IVF

H

end

fit d

sibi

Prin

lia

Duce

liace

hod

Bra

I.

burg

lia, C

dere

Prin

enit

sed

CAPVT. VII.

IURA BRANDEBUR-
GICA.

His ita præmissis, facile est
 expendere, quid senti-
 endum pronuntiandumque
 sit de iure successionis, quã
 sibi deberi existimat *Anna*
 Princeps Brandenburgica fi-
 lia *Alberti Friderici Prussie*
Ducis, & Mariae Eleonore Iu-
liacensis, Ex qua nati sunt, qui
 hodie viuunt Serenissimi
 Brandenburgici Electores.

I. *Anna Princeps Brande-*
burgica in iura ditionesque, Iu-
lia, Cluie, Montium &c. succe-
dere non potest Antiqua Auorum
Principum consuetudine, eam
 enim. I. Talem non fuisse,
 sed exclusis Filiabus agnatos
 pro-

Succes-
 sioni
 Brande-
 burgicæ
 obstant.

I:

Maiorim
 exempla.
 Supr c. 3.

propiores masculos successisse, compluribus exemplis docuimus. 2. Tum, etsi fuisset eiusmodi consuetudo ei *Cæsarum auctoritate*, & tot Principum *constanti voluntate & observantia* fuisset derogatum.

Feudi
qualitas.
Sup. c. 4.

2. *Anna Princeps Brandenburgica in iura, Ditionesque, Iulia, Cliuia, Montium succedere non potest, antiquo Iure Feudi promiscui, nam eiusmodi Iura ijs in terris nec recepta, nec agnita fuisse, tot Cæsarum & Principum auctoritate docuimus, ipsiusque adeo Patris Alberti Friderici, cui Annam Filiam credere sanè est æquissimum.*

3. *Anna Princeps Brandenburgica in iura Ditionesque, Iulia, Cli-*

Cliu
non
Cæ
Feud
Priu
repe
tur,
qua
nor
culo
hab
Bra
dib
ject
vt i
nor
4
bur
lia,
der
rum
eni

Cluia, Montium &c. succedere non potest vi, aut jure Privilegij Cæsarei, quo filia ad capienda Feuda habilitantur. Iis enim Privilegijs, expressè & toties repetitis cautionibus, sancitur, vt quæ habilitatur Filia, qualis erat Annæ mater Eleonora, habeat filios heredes masculos, quos Eleonora sanè non habuit: quod enim censent Brandenburgici, illud de heredibus masculis otiosè tantùm adjectum, id sanè eiusmodi est, vt in eo confutando diutiùs non deceat occupari.

4. *Anna Princeps Brandenburgica in iura Ditionesque Iulia, Cluia-Montium &c. succedere non potest, vi aut jure pactorum dotalium Borussiae, ea enim explicatissimam mentionem*

Conditio-
nes pri-
uilegij
Cæsarei.
Sup. c. 3.

Conditio-
nes pa-
ctorum
dotalium
Ibidem.

tionem faciunt Priuilegij
Cæsarei, ex cuius mente &
verbis *successio promiscua* here-
dum, qui ex Filiabus super-
sunt, non admittitur.

5.
Exem-
plum
Sibyllæ
Saxoni-
cæ.
Sup.c.6.

5. *Anna Princeps Branden-
burgica in Iura Ditionesq; Iulia
Cliuia, Montium &c. succedere
non potest auctoritate noui cu-
iusdam Priuilegij Cæsarei, qua-
le pro Sibylla Serenissimi Sa-
xonie Electores impetra-
runt, siquidem frater Sibyllæ
Guilielmus absque liberis de-
cederet; eiusmodi enim Pri-
uilegium neq; hactenus pro-
ductum est, & hodie aliquid
eiusmodi tentari serum est,
postquam Anna Princeps
Brandenburgica decessit.*

6.
Iura cõ-
munia
Feudalia.

6. *Anna Princeps Branden-
burgica in Iura Ditionesq; Iulia,
Cli-*

Cliu
re no
quod
esse
fauc
gici
com
nor
feud
bus
cept
vot
alia
qua
Jan
uin
vel
nes
& a

IV

E

Cliuia, Montium. &c. succedere non potest ex Iure communi, quod his votis parum æquum esse, & aduersæ parti nimis fauere, jam diu Brandenburgici queruntur, eoq; censent conficiendam esse causam non ex jure communi, aut feudali, sed ex specialibus iuribus, qualia ijs in ditionibus recepta fuere. Id nos ad eorum votum executi sumus, neq; alia hic jura produximus, quàm Cesarum rescripta & sanctiones, quibus vetera prouinciarum IVRA, vel sancita, vel ad desideria supplicationesque Principum, correctæ & temperata fuerunt.

C A P V T. VIII.

IVRA PALATINONEO-
BURGICA.

EXclusa verò *Brandenburgica* Successio

Centuriator Brä-
deburgi-
cus pas-
sim, &
Deductio
Brandenburgica,

nem Pa
latino-
Neobur-
gicam
firmant.

In priui.
legijs
unionis
Imper.
Ferdin. 1.
de 1559.
Maximi.
II. 1566.
Rudolph.
1580.

gica neminem esse propiorē,
qui in ea iura succedat, Sere-
nissimo Principi *Vvolfgango*
Guilielmo, Annæ Iuliacensis filio,
etiam Brandenburgici fa-
tentur; nisi quòd *Bipontini*
hæredes, qui in tertijs consi-
sterent, existimant diuisim
succedendum, *partita inter*
quatuor filias auita hereditate,
aduersus quam diuisionem
quemadmodum maiorum
solertia, Cæsarumque prou-
dentia salutariter multa lan-
ciuit, ita nostri Consilij non
est, in ea re discutienda Dis-
sertationem longiùs mora-
ri. Postremum igitur disser-
tationis hoc Caput esto:

Serenissimus Princeps
VVolfgangus Guilielmus
Comes

Con
&c.
liæ,
cede

I.

legij
form

desig

nissi

gus

ritu

nes

dece

An

res a

culos

Ann

Mag

Ear

succe

bus

Comes Palatinus Rheni
&c. in jura ditionesque Iu-
liæ, Cliviæ, Montium, suc-
cedere debet.

I. *Ex mente & verbis priui-
legij Cæsarei*, quod sanè aliter
formari non poterat, si ultro
designandus in ea vota Sere-
nissimus Princeps *VVolfgan-
gus Guilielmus* fuisset. Requi-
ritur enim primò: *ut filij om-
nes eorumque hæredes masculi
decesserint*, quod factum est
Anno 1609. Secundo. *Vt sor-
res aliquæ sint quæ hæredes mas-
culos habeant*, quales erant
*Anna Palatino Neoburgica &
Magdalena Bipontina*. Tertiò.
*Earumque natu maior in solidū
succedat*, quibus Characteri-
bus *Anna Palatino Neobur-
gica*

r.
Verba
dilucida
priuilegij
Cæsarei.

orē,
ere-
ango
filio,
fa-
ntini
onfi-
nism
inter
itate,
nem
orum
roui-
lan-
non
a Dif-
nora-
liffer-
o:
nceps
lmus
omes

gica, eiusque filius *V Wolfgangus Guilielmus* destinatur.

2.
Disposi-
tiones
parentū.

2. *Ex dispositione auorum Principum*, qui ea Priuilegia tot sumptibus, & tam anxia ac circumspecta sollicitudine, tam varijs cautionibus *in familia qualemunque perennitatem*, & nepotum emolumenta impetrarunt.

3.
Pactio-
nes Bo-
russicæ.

3. *Ex pactis dotalibus Borussicis*. Quæ ita se ad Carolinum referunt, vt *Maximal. II. Imper.* relatione ea de re facta à *Philippo V Vinnenbergio* vltiori confirmatione, nisi aliud porrò moneretur, egerre non censuerit.

4.
Exempla
auorum.

4. *Ex consuetudine, & exemplis trium seculorum*, quæ Masculis hæredibus, etiam *aduersus propiores filias* fauisse ostendimus. 5.

5.
mun
burg
6.
rimi
gum
tem
Imp
nec
tuer
H
& in
cuit
re,
post
Aug
tot
rant
tes S
lielm
que
quæ

5. *Ex dispositione Iuris communis*, quod vltro Brandenburgici fatentur.

6. *Ex causis alijs* quàm plurimis, quas hic narrare longum est, & quarum æquitatem *Imperator* & circumiecti Imperio *Reges principesque*, nec ignorare possunt, nec tueri omittent.

Hæc ita breuiter exequi, & in publicum efferre placuit; isto præsertim tempore, quo in tranquillanda, post tot turbines, Germania, *Augustissimus Imperator*, alijq; tot *Reges ac Principes* laborant. Quas inter tempestates *Sereniss. Wolfgangus Guilielmus* ita versatus est, vt neque factionibus accederet, quæ ex turbatâ Republicâ

quæ-

5.
Iura cõ-
munia.

6.
Alia plu-
ra.

quæstum faciunt, neque interim omitteret *Sacra Casareæ Maiestati* suam *fidem & obsequium* probare. Quo magis commeritus est huius sue *& fidei & Moderationis* precium: tam clari sanè *Iuris & priuilegiorum* fructu non diutiùs frustrari *Serenissimum Principem*, interest & *Auctoritatis Casareæ, & publicæ tranquillitatis*, cuius momenta plerumque ab *incorrupta Iustitiæ* administratione suspensa sunt.

FINIS.

ue in-
Casa-
lem &
o ma
us sue
preci-
uris &
non
enissi-
rest &
publi-
s mo-
incor-
ini
a

ULB Halle
003 550 400


3



For. dig.



2
 tera, fili
 differt e
 re MAX
 filia dit
 habilis a
 peratoris
 pronunti
 Anno
 MILIAN
 minore
 bantur
 summa
 non susce
 des masc
 capaces s
 decedat,
 ris, eiusq
 interea C
 dem an
 MARIÆ
 nia spor
 Marchia
 Quo te
 ter vtro
 ventum



KODAK Color Control Patches

Kodak

LICENSED PRODUCT
3/Color Black

© The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White



ut
 filian
 entur
 mare
 agno
 um p
 clar
 MAX
 in
 ur; c
 um,
 no
 oant
 ffio,
 exhi
 ali m
 non
 KIMI
 BERT
 Aust
 rissiam
 totiu
 no i
 m est
 mo pe
 A

